

AN. 521, 4.

B. m

IIa  
824

CVR MVLTI  
EX  
**ERVDITORVM ORDINE**  
SINT INFELICES,  
QVAERIT  
ET  
*SOLLEMNEM DICENDI*  
**EXERCITATIONEM**

D. VI. OCTOBR. CLO I<sup>O</sup> CCLIL. HORA II. POMER.

INSTITVENDAM INDICIT

*CHRISTIANVS KNAPP,*

PAEDAG. BERG. RECT.

BIBLIOTHEC  
PONICKAVIAN

MAGDEBURGI,  
EX OFFICINA IOANNIS CHRISTIANI PANSAE.

9.

112  
CAROLINAE

XII

ERADICARE OBLIVIONEM

INT. INKELEIUS

OBELIS

ETC.

COLLOQUIA HISTORICA

ACAD. PETROPOLITANA

ALLEGORIAS ET HISTORIAS


PROPHETICAS ET HISTORICAS

VARIA COMMUNIA

ETC.

ERAVITUR AM

ABRAHAM ET IACOBUS ET IACOBUS ET



§. I.

**P**lerique eorum, qui se in eruditorum numerum aggregant, hoc id facere consilio videntur, ut præcipuam felicitatem adipiscantur, certam illam & legitimam, ut putant, doctorum hominum possessionem. Hæc opinio de largissimis eruditionis stipendiis numerosissimas fecit tam claræ ciuitatis legiones. Ac si ex eo iudicamus, quod plurimi, qui vnam aut alteram doctram domi habent imaginem, eruditionis titulum, tamquam generis nobilitatem a maioribus partam, tuentur; multæ familiæ istam, in felicitate impetranda, eruditorum prærogatiua usurpasse putandæ sunt.

Nos quidem illam de felicitate, certa eruditionis comite, quæstionem non omnem disputabimus, atque ab exemplis eorum, qui suis calamitatibus peruulgatae istius opinionis veritatem auctoritatemque suspectam reddiderunt, plane nos

A 2

con-

continebimus: quamvis multa sint in promptu tum ignobilium atque obscurorum hominum, tum etiam eorum, qui scriptis factisque inclarerunt.

Sed caussas quasdam indagabimus, cur multi eorum, qui publico nomine docti appellantur, in pessimo sint rerum suarum statu. Illi enim, qui omnem miseriæ suæ culpam in fortunam conferunt, vel plane nihil dicunt vel alieno ac honesto nomine suam ipsi culpam confitentur, ab eadem vanitate, de cuius iniustitia conqueruntur, peruersitatis suæ excusationem petentes ad eiusque fidem ac tutelam confugientes. Ab ipsa istorum hominum natura, conditione & vita studiis consiliosque, istæ fortunæ offensiones, isti casus acerbi, quos accusant, proficiscuntur.

## §. II.

Multi, si consultius agere voluissent, de litterarum studiis omnino non cogitassent, ii nimirum, quibus ingenium mentisque acrem ac vigentem aliasque animi & corporis virtutes, ad opus litterarum tractandum necessarias, natura negavit. Sunt memoria vel nulla vel infirma, ingenio frigido, iudicio hebeti, præterea valetudine sessionis cogitationisque impatiensissima. Sed quia forte ab incunabulis studiorum sacris dicati fuerunt, aut quia auiæ, materteræ aliisque sagacibus mulierculis ita videtur, necesse est, hos ineptos homines doctorum numero adscribi &, velint, nolint, eruditam adire rem publicam. Nonne hi iam eo tempore, quo difficilem eumque inanem studendi conatum habent, infelices ac miseri dicendi sunt, quod & in cassum eamque ob caussam maiori cum molestia laborant & florem ætatis perdunt, in quo, si ad aliam artem animum appulissent, veram rei publicæ inseruendi facultatem nancisci potuissent? Sed, nisi imprudenter captum consilium mutant, maior eos atque acerbior manet miseria.

Nam

Nam aut in turpissimo otio atque in summa paupertate vitam consumunt, aut si Spartam aliquam per nefas occupant, administratio illius ipsis ignominiosa est, funesta & calamitosa aliis.

## §. III.

Quamvis nullum studiorum genus sine satis bonis atque idoneis animi facultatibus possit tractari, multum tamen ad imperrandam sapientiam in quois genere interest, quibus quisque sit animi inclinationibus ac voluntatibus, aut quibus ingenii partibus instructior. Si quis in eo disciplinarum genere operam collocare cogitur, a quo ipsius natura prorsus abhorret, quid ille in tam ingrato & alieno negotio proficiet? Aut si alius omissa ea arte, ad quam diuinitus factus fictusque est, aliam amplectitur, quæ vel difficilior sit, quam ut ei par esse queat, vel præcipuæ indolis parti non consentanea; quos ille vel pertinacissimi laboris fructus tandem habebit? Alii ad res ingenio subiectas sunt aptiores, alii ad eas, in quibus iudicio opus est, alii ad ea, quæ in obscuritate ac solitudine disci possunt exercerique, non nullorum illustrior diuiniorque ratio amplissimum campum, in quo se iactet, postulat. Hæ ab ipsa natura distributæ prouinciaæ non permutandæ sunt, sed sua cuique rite administranda, ut omnibus cœpta prospere succedant.

Fateor equidem, multas difficultates diligentia & intentione animi inductione posse superari; at natura tamen, cui vis illata est, semper reclamabit eaque subinde repetet, quæ cum ipsa consentiunt. Ponamus aliquem, qui, quam inuita Minerua tractat artem, ad eam exercendam muneri alicui præficitur. Num is ea, qua decet, sollertia atque industria muneris sui partes implebit? num illa studia persequetur, quibus nihil præter vietum ac titulum quæsiuit? Neglectis his illa potius amplexabitur, ad quæ se a natura inuitatum sentit.

A 3

Si

Si audire liceret, quo quidam erga eam, quam profitentur, scientiam essent animo, detestantes eam vel saltem contemnentes audiремus aliasque omnes illi multo anteponentes. Quantis cum molestiis & ærumnis huiusmodi vitæ munus, animo ingenioque contrarium, sit coniunctum, vñusquisque facile coniiciet.

## §. IV.

Maiorem dixerim eorum numerum, qui, quum studia & per se honesta ac laudabilia, & persona indoleque sua non indigna elegerint, in iis tamen non optima ratione versantur. Eas artes ac disciplinas, per quas, tamquam per vnam regiam & communem viam, ad singulas disciplinas cùndum est, disce-re plane non curant: nullas linguas, nullam historiam, nullas antiquitates, nullam intelligendi, iudicandi, argumentandique rationem comprehendunt; quibus auxiliis destituti in reliquis omnibus eruditionis partibus hærent & toties istius defectus mala sentiunt, quoties se ad obeunda professionis suæ officia commouent. Ita si propositum vitæ suscepimusque consilium tenere eique satisfacere volunt, nulla in vita eorum est mole-stia ac sollicitudinis intercapedo. Ergo miseri sunt atque infelices.

Qui igitur ad eruditionem solidam ac perfectam eiusdemque tam iucundum quam fructuosum usum adspirant, illi tur-pem istam leuitatem atque ignauiam fugiant, qua vulgus studiosorum ista omnia præterit, generosoque omnis humanitatis cultu barbarie in eruditorum rempublicam ingruenti na-uitre obstant.

## §. V.

Ingratis ac sterilibus principiis multæ disciplinæ prætextæ sunt, & hoc in more nostro positum est, vt iniucundis, quæque nullam habent proximæ utilitatis speciem, prætermisis, ad iu-cundiora vberioraque transiliamus. Hæc in eruditione magni mali

mali est origo. Nam qui non his quasi gradibus ad rerum maximarum cognitionem adscendunt, sed altioris scientiae admiratione capti cito euolare conantur, hi neque veram de rebus illis grauissimis sententiam animo vniquam concipere neque firmis eam probare & confirmare rationibus possunt. Semper summa & extrema moliuntur, numquam ad ea penetraturi, nisi falsam istam viam remensi iter suum a iustæ viæ capite repetierint. Sed pauci hoc sunt animo, ut ex eo gradu, quem se summo cum honore adscendisse sibi persuadent, descendere & ab initiis profecti ad finem peruenire, quam in perpetuis infirmæ & languidæ eruditionis incommodis atque anxietatibus versari & æstuare malint.

Quidam in nulla omnino studiorum parte ordinem ac viam obseruant, sed quidquid occurrit, primum, medium, extremum; proximum, remotum; cognatum, alienum, id rapiunt ac deuorant. Quod quanto suo malo faciant, & quam turpiter tempus operamque perdant, non necesse est dicere.

### §. VI.

Omnes partes vniuscuiusque disciplinæ quemadmodum ab uno ductæ sunt initio & ad unum finem spectant, sic etiam vt coniunctæ & arctissime inter se cohærentes tractandæ sunt, & ex vnaquaque circumspetandum est tum ad eas, quæ antecedunt, tum ad sequentes. Quod qui non curant, illi neque singulas perfecte cognoscere, neque quomodo altera alteram pariat aut confirmet videre, neque omnibus recte uti possunt. Attamen hanc partium & articulorum omnium complexionem, quæ mente & memoria fieri debet, vix a paucis curari videmus. Ceteri aut omnia abiiciunt, aut ardentes discendi cupiditate ad singula tantum summo studio feruntur & sedulitatem magis, quam prudentem diligentiam, probant. Omnia corradunt; non colligunt, non numerant, non ordinant:

nant: ac si ipsis singulorum constat ratio, tamen hærent in vniuersis. Sæpe illis accidit, vt, si sint theologi, in sacris quæstionibus; si iuris consulti, in cauissimis ciuilibus; si philosophi, in variis disputationibus, ineptissimas definitiones, interpretationes absurdissimas cudant ac nihil fere tempori, personæ cauissæque scienter accommodent. Quas ineptias qui contentus, qui risus comitentur, facile suspicabimur.

## §. VII.

Multos respublica litteraria habet bonos satis, fideles ac laboriosos ciues, qui iusto ordine summaque diligentia omnia tractant, & nihil eorum, quæ audiunt quæque legunt, vñquam præterfluere sinunt, quod non cupide arripiant & fortasse etiam animo ita, vt proponitur, comprehendant ac memoria sæptum firme teneant. Finge tibi, eos omni alicuius disciplinæ ambitu potiri, omnes definitiones, diuisiones, sententias, quæstiones, argumenta etiam ad probandum magno numero inclusa animo tenere. Hæc omnia qui tam foriter dicerunt & quidem, quod posuimus quodque maximum est, nihil non probatum dimiserunt, sed maxima fere propositiones argumentorum copia firmare valent, næ! ab illis non est quod desiderari possit amplius. Sed si vacuo ac libero animo totam eorum discendi rationem doctrinæque fundamenta inspiciemus, multa adhuc circa ea nobis quærenda occurrent. Num recte intellexerunt omnia, quæ memoriæ beneficio recitant? Si intellexerunt, num certo perfecteque cognoverunt, vera esse? Nihil, inquiunt, assūsimus, nisi argumentis stabilitum. Ergo hoc vultis, vos verissimam habere earum rerum scientiam, quarum argumenta quædam dumtaxat, plerisque satis facientia, audiueritis ac tenueritis. Sed num argumenta ista ponderastis etiam, quæ religiosissime complexi estis? Si ponderastis, num, quantum licebat per rationem, an quantum solebant alii,

alii, ponderastis? Num subtilissima seuerissimæ rationis statera  
examinata probastis?

Hoc multos impedit, ne constantem, stabilem & veram  
scientiam consequantur, quod, quum discendi capiunt consi-  
lium, omnes disciplinas, tamquam ex omni parte perfectas nu-  
merisque omnibus absolutas, superstitione cum veneratione  
adorant, nec de earum dubitare laudibus licere putant. Num-  
quam illis in mentem venit attendere atque animaduertere  
omnia, vt ea, quæ in medium afferantur omniumque iudicis  
subiificantur, non quæ omnium applausu excipi necesse sit.  
Melius illis sine dubio discendi negotium succederet & purio-  
rem utilioremque scientiam consecuturi essent, si eam non  
emerent tamquam mercem quamdam, a perfectissimis artifi-  
cibus iam fabricatam omnique admiratione dignissimam; sed  
si ita ad opus litterarum tractandum accederent, vt si ab ipsis  
nouæ rerum scientia, quæ nondum exstisset, ex certis prin-  
cipiis inuenienda esset. Quod quum paucissimi faciant, ple-  
rique non possunt non eruditionis superstitione & male con-  
coctæ vel ignorantiae miserabilis vitia per omnem vitam  
sentire.

§. VIII.

Quum omnes mortales non sibi tantum sed etiam aliis se  
natos esse debeant cogitare & hac conditione viuant, vt com-  
munes vtilitates, quantas possint, in medium afferant; docti  
præ ceteris omnibus ad suum officium hoc pertinere existi-  
ment. Plenam enim eruditionis notionem si cogitatione in-  
formare conamur, eam esse oportet perfectiorem facultatem  
publicas & communes vtilitates amplificandi, ornamentaque  
humanitatis omnia eadem continentur. At fatendum est, ma-  
ximum doctorum numerum discessisse ab hac excellenti eru-  
ditionis notione, eamque nuda rerum quarundam scientia de-  
fini.

finiuisse. Hinc vulgo videmus ea negligi, quæ ad efficientiam doctrinæ, nostris aliorumque usibus præbendæ, pertinent. In vniuersum non discunt neque animum suum, neque omnes suas rationes, neque alias, quibuscum eos locus aut officium coniunxit, prudenter moderari. Ita enim sunt incuriosi in suis aliorumque & vitiis & virtutibus obseruandis, vt nec se nec alias perfecte cognoscant, nedum recte ac salutariter trahent se vitæque socios. Se ipsum aliasque scite tractandi ars tum meditatione animi nititur, tum consuetudine & institutis. Isti autem, vel suis studiis sepulti vel voluptatibus oppressi & tamquam ebrii, neque ratione exquirunt, quid sibi aliisque debeant, neque publicam eamque honestam consuetudinem moderatricem sequuntur; quia non prouident, quanta illæ humanitatis elegantiæ in omnibus vitæ muneribus, & præsertim in eruditorum officiis, emolumenta facturæ, & quanta ipsi, qui illis non studuerint, mala atque incommoda excepturi sint.

Sed est etiam ars quædam singularis, qua arte eruditii viri doctrinam suam ad communes usus aptare debent. Illa rerum scientia, quæ eruditio appellari solet, est quædam quasi materia, per se quidem bona, sed quodammodo informis, cui ars & manus artificis adhibenda, quæque pro usuum varietate variis modis fingenda est. Non conductit, locis omnibus, iisdem verbis, quibus audiueris, eodem ordine, iisdem subtilitatibus dogmata proferre; sed mirabiliter atque infinitis modis enuntiatio varianda, & loco, tempori, personis, ingenii caussisque accommodanda est, vt neue pro inepto haberas, neue omnem perdas operæ fructum. Quo plenius omnia dogmata animo percepta sunt, quoque diligentius loca, personæ, ingenia hominum & alia eiusmodi obseruantur animoque repræsentantur, eo facilius ratio aliqua

aliqua reperitur, qua ratione alii rerum ipsis necessiarum cognitione sint impertiendi.

Quamuis haec proferenda & recte adhibenda eruditionis ratio prorsus sit necessaria, nisi omnem eruditionem vanam & frustra acquisitam esse volumus, tamen in tanto doctorum numero paucos reperimus, qui eam calleant. Ita multorum oratio absconsa est, qui omnibus locis iisdem verbis sapientiam suam praedicant, ut iure sapientiores haberentur aliisque vtiliores, si ista non didicissent, quibus non modo tam insulse vtuntur sed etiam sanam rationem opprimunt.

## §. IX.

Nihil ergo eorum, quae gratam eruditionem ac vere vitem facere possunt, didicerunt: Contra ea innumeris vitiis & putidis dementibusque moribus omnis illorum vitae actio scatet. Ista vicia, vel naturae ipsorum & ingenio propria, vel ex educatione domestica & scholastica leuitate assumta, tantum abest, ut cum praetexta ponant, ut ea potius cum ipsis adolescent, in academia praeferunt viuentibus, qui locus ad mores adolescentibus fingendos & bono publico formandos minime omnium idoneus esse solet. Nullum enim in academiis est institutum, quod ad feritatem hominum, a quibus totae ciuitates humanitatem debent accipere, tollendam ipsosque ad mitigiorum ac decentiorem vitam perducendos aliquo modo valeat; cum varia sint instituta, quae vix ac ne vix quidem ad compescendam eamdem feritatem & ab aliorum capitibus auertendam valent. Quae quum ita sint, abesse non potest, quin fcedissimorum exemplorum copia vim maximam, exemplis propriam, habeat ad animos ac mores fere omnium magis magisque corrumpendos. Vtinam ne multa vel leuiter ac petulanter vel sordide & impie dicta, bonis moribus ac vita integritati contraaria, multorum scelerum semina in multorum animis exsisterent!

B 2

§. X.

## §. X.

Hæc vitiorum disciplina, cui ipso studiorum tempore sunt dediti, plerosque a sapientiæ studio abducit. Sed fac, aliquos, quamuis malos, quamuis asotos, multum in litteris proficere; cum ceteris tamen experientur mala ante aetam vitam consequentia. Nemo umquam vitiis prorsus impune seruiuit: idque etiam hi verum esse suo exemplo probare coguntur. Spero, quosdam ex iis mentem mature mutaturos omnemque vitae honestatem se etaturos esse. Hi igitur non gustabunt fructus patratorum scelerum acerbissimos? Certe gustabunt tunc, quum vita male aetate conscientia renouabitur, quum animi prauitas, consuetudine peccandi corroborata, intus tumultuabitur & quauis data occasione ipsos vel summa ratione resistentes vexabit, quum vires corporis animique facultates peccando debilitatas sentient. Qui autem ne hoc quidem faciunt, ut consilium mutent, illi eo miseriores sunt, quo magis continuata vita nocent.

In hac barbara ac scelerata vita: ante aetate ratione plerosque eruditos, qui de fortunæ iniuriis conqueruntur, primam calamitatum suarum caussam, conscientia indice, inuenturos esse puto. Quin etiam optimi & honestissimi viri, qui numquam immanibus illis vitiis fuerunt dediti, multa tamen mala saepe sentiunt, quæ sibi scholasticæ & academicæ vita leuitate atque imprudentia praepararunt merueruntque.

## §. XI.

Ne illi, qui has, quas in medium protuli, calamitosæ eruditorum vita caussas sua dignas consideratione putabunt, effe. Etum earum parum deprehendant, moneri eos necesse est, ne illos tantum putent calamitosos esse, qui peracto tempore, litterarum studiis tractandis concessò, nullam Spartam, quæ vietum præbeat, nanciscuntur, aut quibus non maximi

maximi honores habentur. Fortuna multo plura tela habet, quibus homines inse<sup>c</sup>tetur, vel vt rectius dicam, multo plures amaritudines ex ante aetis & ex suscep*ti*s vitiis enascuntur.

Nihil saepe malis & indoctis hominibus facilius est, quam largiendo, assentando aliisque artibus, vel negligentiam, vel ignorantiam, vel pratta studia patronorum in suos usus conuertere ab iisque, quas querunt, prouincias impetrare. Ac saepe propter bonorum raritatem in eligendis iis, quibus munera concredantur, non queritur, qui sint optimi, sed qui minus mali. Ita fit, vt permulti rem tum ciuilem tum sacram administrandam accipiant, quos meliores aptioresque cuperemus. Num hos putamus facinorum ante patratorum atque inertiae poenam effugisse, iisque perfecte frui, quae probitatis eruditionisque premia esse debent? Hoc illis ita videri potest, qui vel in titulis atque externa specie omnia ponunt, vel istorum hominum statum non proprius considerant. Sed eos miseros esse, facili opera decebimus. Nam eam personam agere coguntur, quam tueri nequeunt: acre dignitatem simulant, quam non habent, excarnificant se, sentientibus atque indignantibus aliis. Officii munera exsequentes facere non possunt, quin ipsi de se cogitent seque arguant ac reprehendant. In omni parte muneris suam deprehendunt inscitiam atque infantiam, infinitasque offendunt difficultates. Ii, quibuscum ipsis est negotium, siue inferiores sint siue superiores, sensim detectis & cognitis ipsorum vitiis, spem de ipsis conceptam abiiciunt & in contemtum, fastidium atque odium mutant. Si qui etiam ex isto malo genere, ingenio adiuti, res suas mediocriter administrant, tamen animi ipsorum ac vita conditio, quae publicis muneris actionibus opposita est, omnem harum frumentum perdit. Quære quid sit, cur tam multi in variis reipublicæ partibus frustra vel etiam malo publico laborent, si modo

modo laborant; aliquam certe eiusmodi causam inuenies. Miseri profecto & nimium miseri, ex quorum inceptis nihil nisi malum rei publicæ potest existere! Quo quis est ineptior aut vitiosior, eo sæpe etiam ambitiosior. Hinc multi, ignorantiae ac prauitatis suæ sibi consci, clamando, conuiciando, tumultuando aliorum aduersus se reuerentiam exigunt, quidam etiam libris conscribendis magnam meritorum famam quaerunt. Vtique in severissima prudentium iudicia incidunt, vel rixas excitant turpissimas.

¶. XII. Non dubito dicere, multis ea, qua meruerunt, domi suæ nasci & digna factis eaque perpetua parari supplicia. Vxor mala; vel stolida nimis, vel nimis sagax & versuta; vel auara, vel luxuriosa; rei domesticæ negligens, dissoluta, sordida, rixosa! Liberi feri, contumaces, malitiosi, decoctores, scelerati, agrestes, stupidi, spectaculo publico nati! Hi bona omnia deuorant & tamquam Furiæ patrem familias dies noctesque exagitant summagque rei familiaris angustiam & confusionem efficiunt, illo sæpe non modo non resistente, sed suo etiam viuendi genere exemplum dante.

Ecce miser! qui eo, quod cupidissime quaesuerunt, tormenta sibi pararunt omnium crudelissima. Ecce Tartarus, voluptariis ac libidinosis hominibus dignissimus!

## §. XIII

Facile concedo, quosdam non tanta sua culpa in istas incidisse calamitates: Sed plerique tamen, quamvis ceteroqui boni ac laudabiles, huius suæ miseriae familiaris quodam modo effectores fuerunt aut adhuc sunt: & contendere ausim, si omnia omnium occulta cernere & præterita cum præsentibus coniungere possemus, eum fortunæ statum, quo nunc vivuntur, cum omni eorum vita statu animique conditione perfecte

perfecte conciliatum caussasque miseriarum in illis rebus, quas aut fecerunt aut omiserunt, inuentum iri. Has caussas si non numquam in hominibus notis inuestigaremus, magnam agendi prudentiam & faciliorem diuini numinis, a quo sape ob causas longe alias mala ista immitti dicuntur, excusationem operæ pretium haberemus.

## §. XIV.

Nulla neque caussis infelicitatis, neque effectis caussarum exempla expressiora adiunximus, quod & nimis longum & superuacaneum fuisset. Nam qui se probe nosse & ex malis istis euadere omnino cupiunt, illi hæc pauca, quæ notauiimus, vel sine exemplis intelligent ac suis aliorumque exemplis ipsi illustrabunt: Qui autem his a nobis expositis vti nolunt, illi ne maxima quidem exemplorum copia docebuntur, & semper habebunt, quod obiciant. Quis hoc non obseruauit, qui suis opinionibus, suis consiliis, suis institutis plane confidant, eos nullis neque orationibus neque libris, quamuis longis, quamuis absolutis, conuinci & ab errore ad veritatem conuerti posse? Si qui contra ingenuo veritatis amore capti sunt, quamuis ea ipsorum voluntatibus aduersetur, nonne eos vel tribus verbis, quæ veritatem ostendunt, ad hanc propius inspi ciendam amplexandamque allici videmus?

## §. XV.

A pædagogii nostri ciuibus haec, quæ differui, diligenter lexitari & serio expendi maxime cupio. Ad summa bona se quotidie vocatos atque omnibus recte iudicandi & bene beateque viuendi præceptis instructos sciunt. Horum omnium iam, si volunt, & in posterum sapissime recordentur ea que tum in litterarum studiis, tum in moribus omnique vitæ ratione constantissime sequantur. Audiant nos, non temere nec dubitanter prædicentes, præceptorum istorum contemtio nem

nem eos non inultam ablaturos esse, qui suo ingenio suisque opinionibus, quam rectis ac probatis consiliis, obsequi malint.

Vtinam oculis vestris, Carissimi Ciues! cunctam istorum malorum molem, quorum vobis cauñas s̄epissime ostendimus, subiicere possemus! Quam cupide quantasque gratias agentes, non tantum verae rationis consulta sed diuinæ etiam clementiæ, quæ per Christum malis omnibus auerruncatis perfectam nobis salutem reddidit, sanctissimas auctoritates audituri quamque parato veneraturi essetis obsequio!

#### §. XVI.

Sex primi ordinis ciues, academiam cum schola nostra propediem commutaturi, publica suæ diligentia specimina dicendo dabunt: *GEORGIVS FRID. MERZDORF*, Elbau. Magdeb. *BERNHARD. AVG. DE KROSIGK*, eques Magdeb. *CAROLVS CHRISTIANVS CLAVS. WITZ*, Martisburg. *IO. LVDOV. KVHN*, Magdeburg. *IOACH. HENR. LEMKE*, Megalopol. & *CAROLVS FRID. VBBELOHDE*, Magdeburg. Quorum summam ad studia litterarum ingenii dexteritatem, diligentiam, eruditionem, morum commoditatem ac modestiam merita laude impertimus, eosque ad veram & humanæ & Christianæ felicitatis notionem, quæ in ipsorum animis grauissimis s̄apè verbis impressa est, studia sua omnia vitamque omnem constanter directuros esse speramus. Qui ex illis, vt cœperunt, Christo fidem habebunt eiusque sapientissimam disciplinam sine exceptione sequentur, hi in consummatissima felicitate certissime habitabunt.

#### §. XVII.

Patronos, Fautores & Amicos paedagogii nostri reuerenter officioseque rogamus, vt horum aliorumque ciuium nostrorum orationes sermonesque eras benignissime audiant.

*IOACH.*

*IOACH. HENR. LEMKE*, Deum ex diuinis libris, quam  
ex ratione, rectius cognosci docebit, germ.

*CAROLVS CHRISTIANVS CLAVSWITZ*, eosdem  
diuinos libros laudabit, quod doceant, in morte Christi  
salutari acquiescendum esse, carm. germ.

*LVDOV. WILH. DIESMANN*, Waldecc.

*FRID. GOTTLIEB GOESING*, Gorlic. Lusatus,

*FRID. IACOBVS HINCKE*, Ascan. &

*IO. ANDREAS DANIEL NEVBAVER*, Mansfeld.  
in philosophia tum veterum tum nostrorum veram ani-  
mi tranquillitatem inueniri negabunt, dialogo lat.

*VALENT. FRID. GERICKE*, Palæomarch. Carolum M.  
dicet ad religionem eruditionemque ab interitu vindican-  
dam excitatum & in summum imperii fastigium euectum  
fuisse, germ.

*BERNH. AVG. DE KROSIGK*, Carolum M. Alexandro  
Macedone dignorem iudicabit, qui Magnus appelleatur,  
carm. germ.

*HENR. AVG. DE VELTHEIM*, eques Magdeb. de symbolo,  
quod Carolo M. tribuitur, quadam commentabitur, gall.

*ADOLPHVS LVDOV. WILHELMVS*, Comes a Sayn  
& Wittgenstein,

*CAROLVS WILH. LVDOV. EMIG. L. B. DE CORN-  
BERG*, Westph. &

*IEREM. LVD. DE VIGNY*, eques Berol. in paucis vim  
eorum symbolorum, quibus vrantur, cognosci dicent, gall.

*HENR. DIETER. WEDDE*, Palæomarch. rationes quasdam  
afferet, cur Caroli gentem fortuna tam cito deseruerit, lat.

*CAROLVS FRID. VBBELOHDE*, ea bona, quibus  
Europa reliquas orbis terrarum partes antecellat, Chri-  
stianæ religioni deberi probabit, ital.

10. *ANDREAS NIEMANN*, Hadmersleb. Magdeburg.  
bombycum historiam enarrabit, germ.
10. *LUDOVICVS KVHN*, bombyces eorumque opus religiosius considerabit, angl.
- CAROLVS VLRICVS DE DRIBERG*, eques Megalop.
- FRID. WILH. LEOP. DE BORCK*, eques Pomer.
10. *FRIDERICVS FELDMANN*, Berol. &
10. *GEORGIVS FRID. WEISBECK*, Halberstad. de communi bombycinorum vsu in contrarias partes disputabunt, germ.
10. *AVGVSTVS STILCKE*, Magdeburg. Ægyptiorum regum, qui pyramides exstruxerunt, vanitatem ridebit, carm. lat.
- ERNEST. AVG. CHRISTIAN. STRASSER*, Saalfeld.
10. *FRID. STOEFFLER*, Magdeburg.
- IVSTVS CHRISTIANVS LVDOV. SCHELLWITZ*, Thuring. &
- VALENT. GOTTFR. SCHNAKENBVRG*, Palæo-march. de architectura tignaria different, germ.
- GEORGIVS FRID. MERZDORF*, diuinum illud præceptum, quod in Pl. CXIX. comm. IX. exstat, sibi & commilitonibus suis commendabit & cum ciuibus vna abituris salutem Bergæ postremum dicet, carm. germ.
10. *FRIDERICVS FABRICIVS*, Schœnbec. Magdeb. de amicitiis in academia caute instituendis perorabit, discessuris fausta omnia ominabitur & maximas beneuolis auditoribus gratias aget, germ.

P. P. BERG. III. Non. Oct. A. C. clo l cclii.

Aria



Aria  
Zu der ersten und zweyten Rede.

**D**ir folgt mein Auge, hellre Spur!  
In deinem Glanz wird der Natur  
Verblichner Schein mir blaß und trübe.  
Gott kommt! Sein Gang ist Recht und Licht,  
Und Gnade strahlet sein Gesicht  
Auf Menschen, die in Dämmerungen  
Mit Freihum und Verzweiflung rungen.  
O Mensch, verbirg dich länger nicht!  
Fühl ihn als Schöpfer und als Liebe,  
Mit Blut erkaufte Creatur!

Nach der dritten Rede.

Duett.

- |             |   |
|-------------|---|
| Beruhigung: | } O sanfter Friede!                         |
| Unruhe:     |   |
| Beruhigung: | Nun darf ich dich nicht länger missen!      |
| Unruhe:     | Wem wirst du doch mein Herz durchfließen?   |
| Beruhigung: | Mein Wünschen ist gestillt in dir:          |
| Unruhe:     | Ich seufze Tag und Nacht nach dir!          |
| Beruhigung: | Du stimmt mir den Gesang vergnügter Lieder: |
| Unruhe:     | Ich irre schüchtern auf und nieder,         |
| Unruhe:     | Von Seufzen müde.                           |
| Beruhigung: | O sanfter Friede!                           |

Nach

QK Ta 829

X 33626

Nach der sechsten Rede.

Vor dem sich Welt und Himmel schmiegt,  
Dem HErren ist das Reich bereitet;  
Der mit den Donnern seines Thrones streitet,  
Durch Liebe siegt.

Bald sammlet sein Panier der Streiter Menge,  
Er kommt in triumphirendem Gedränge;  
Der Feind erliegt.

Nach der zehnten Rede.

Die Hoffnung schafft den Heldeninn,  
Mich sicher in die Brust zu legen.  
Mein durrer Staub, der einsam schweigt,  
Wahrt da der Ewigkeit entgegen,  
Bis ihre Morgenröthe steigt.  
Ich sterbe, edler aufzuleben;  
Mein Raupenstand ist bald vorbei:  
Denn werd ich mich, verklärt und frey,  
Mit Schwingen in die Höhe heben  
Ins Hallelujah hin.

Nach der zwölften Rede.

In dir, mütterliche Erde!  
Schlaf ich, wenn ich sterben werde;  
Junge Myrten, schmückt mein Grab!  
Denn werft, wenn ein Freund erscheinet,  
Und mir ruft und angstlich weinet,  
Eure Schatten mild herab.

Zum Beschlusß.

Saugt, blinde Thoren, nur am Staube,  
Lasst euch der Sinnlichkeit zum Raube,  
Genießt und wünscht aufs neu mit jedem Nu:  
Mein Glück ist Gott! Mein Wunsch der Himmel!  
Fern von mir! Rasendes Getümmel!  
Ich walle still den Ewigkeiten zu.

\*\*\* \* \* \*\*\*

# Farbkarte #13



B.I.G.

VR MVLTI

EX

ORVM ORDINE

INFELICES,

QVAERIT

ET

INEM DICENDI

ITATIONEM

CCCLII. HORA II. POMER.

VENDAM INDICIT

JANVS KNAPP,

DAG. BERG. RECT.

AGDEBVRGI,

OANNIS CHRISTIANI PANSAE.

B.M

IIa  
824

